REX PATER PATRIAE

Instar *PELICANI* liberos suos fovere debet.



AD CAROLVM

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, & HIBERN. *REGEM, Divinæ veritatis propugnatorem,*


ORATIO PANEGYRICA,
habita à *ZACHARIA BODIO Glasguensis* Ecclesiæ Pastore, horâ secundâ pomeridiana in *Regia porticu Cœnobij sanctæ Crucis*, 17 die Iunij 1633. pridie illius diei quo sacrum REGIS caput cinxit aureum SCOTIÆ *DIADEMA.*


Regis ipsius jussu prælo commissa.

EDINBVRGI,
Excudebat *Iohannes Wreittoun.* 1633.

VICTORIA







REX PATER PATRIAE

Instar *PELICANI* liberos suos fovere debet.



AD CAROLVM

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, & HIBERN. *REGEM, Divinæ veritatis propugnatorem,*

ORATIO PANEGYRICA,

habita à *ZACHARIA BODIO Glasguensis* Ecclesiæ Pastore, horâ secundâ pomeridiana in *Regia porticu Cœnobij sanctæ Crucis*, 17 die Iunij 1633. pridie illius diei quo sacrum REGIS caput cinxit aureum SCOTIÆ *DIADEMA*.





DEO OPTIMO MAXIMO principium, *Potentissime* PRINCEPS, cui summas gratias agimus quod te nobis omniũ *EVROPAE* Regum præstantissimum præstiterit, & nunc tandem ad oras *Caledonias* terras tuas Natalitias post *multa lustra* incolumem reduxerit.



VNC salve CÆSAR *Augustissime*; Salve CÆSAR noster, Defensor fidei, *spiramentũ narium nostrarum*, fulgidum orbis jubar, optatæ pacis parma, Fili IACOBI patris optimi, qui fuit noster ZOROBABEL in Templi sacri jamdiu collapsi restauratione; Iterum atque iterum salve BRITANNIÆ Sol.

Verum Regis *Iacobi* encomium.

Quamvis nos nil nisi *Cicindelæ* aut *Lampyrides*, nos nihilominus cum *lychno nostro pensili*, pro face pro facula progredimur obviam, ut Te Solem *clarissimum & charissimum* salutemus: Omnes unâ voce Te CAROLVM *Augustissimum* salutamus.

Vt Sol cœli, sic Tu Britanniæ cor; Vt Sol cœli, sic Britanniæ lux, PHOEBVS *aureus* & *oriens*, qui accessu tuo & vitali calore, inferiora hæc, quamvis maxime glacialia reficis & vegetas.

Omnes quotquot sumus, meritissimæ tuæ incolumitatis gaudio adeo perfusi sumus, ut non possimus nostram lætitiam & *verbis* & *vultu* non testari.

Quam turpe, turpe in tali adventu talis REGIS esse

esse καινὰ πρόσωπα.

Vt dixit IACOBVS fratri cum ei obviam procederet, sic quisque nostrum tibi obvius Illustrissime Princeps dicere potest, *Aspexi faciem tuam, perinde ac si faciem DEI aspexissem.* Non vereor dum alloquor Regem meum uti verbis istius TEKOHÆÆ, *Vt Angelus DEI ita est Dominus meus REX*, vel fere iisdem verbis ex ore pergrati & bene morati MEPHIBOSHETHI, *Dominus meus Rex est sicut Angelus DEI.* Gen. 33. 10. 2. Sam. 14 18. 2 Sam. 19. 28.

Lex & nata & lata (*REX Serenissime*) unum pluribus præesse; LEO generosissimus inter quadrupedes est præses; Immania *CETE* inter pisces; *AQVILA IOVIS* ales inter aves; *APES* in examine, non sine Domino; Citima terris *NOCTILVCA* inter minores ignes gubernat noctem; *SOL* regit diem; *TV* nos; *DEVS* te, Solem, Lunam, diem, noctem, & omnia.

O quam fausta quam festa est hæc lux! *PHOSPHORVS* nunc diem reddidit; Ecce CÆSAR adest.

O quam nobis est jucundum, *REX omnium præstantissime*, faciem tuam serenam intueri: Nos tui; terra hæc tua; hic TV satus; hic tu natus; hic in cunis vagijsti; hic tuæ illustrissima familiæ radix.

Fieri non potest (*REX Potentissime*) quin cum cunctis ducaris natalis soli dulcedine, quamvis vitam degas in *terra Angelica*: Creta, *Iovis* deliciæ: Samos *Iunonis*: Apollo *Claron*, *Tenedon*, *&* *regna Patarea* sprevit, ut inviseret suam *Delon*, in qua *Latona* eum enixa est: prudens *Vlisses* incultam, & scopulis asperam dilexit suam *Ithacen*: Quod Creta *Iovi*, quod Samos *Iunoni*, quod Delos *Apollini*, quod Ithace *Vlissi*, hoc tibi est prisca tua *SCOTIA* tui amantissima, cui primas

cu-

cunas & originem debes.

Ecce ut omnium ora, oculique in Te unum defixa: Ecce quot homines in hac Civitate congregantur, ut Apes in alveario conglobatæ, ut tuo Regali conspectu fruantur: Tanta gaudij moles est in pectoribus omnium, vt mirũ quod non multi cum *Diagora* Rhodio præ nimia lætitia animam efflarint: sed rursus tua fragrans præsentia instar *Rosæ*, instar *pomi*, instar *Zibethi* nos amore ægrotos reficit atque refocillat.

O salve nunc *Sol purissime*, hic siste gradum, ut olim Sol in *Gibeone*, utinam hic longum sit *Solstitium*, sic plaga hæc nubila, rigida, & frigida, tui beatissimi vultus radiis & *calesceret* & *claresceret*.

Vera encomia Augustissimi Regis CAROLI.

Sicuti pater IACOBVS fœlicissimæ memoriæ Princeps ob summam prudentiam dici potuit IACOBVS Magnus, & sicuti socer HENRICVS ob insolitam fortitudinem dictus fuit *Henricus* Magnus, sic tu Illustrissime CAROLE ob utramque tum raram prudentiam tum veram fortitudinem sis CAROLVS bis cognomine Magnus, similis illi *CAROLO Magno Pipini* Francorum Regis filio, qui omnium, qui unquã fuerunt Principum in *Gallijs*, belli pacisque artibus longe clarissimus fuit.

Multa prætereo & ferme omnia prætereo, ne *CAESARIS Augustissimi* Regalia morer negotia.

De tuis virtutibus REX præstantissime, quid ego tenuis? quid ego tenuis in re non tenui? In te omnium virtutum epitome, Iustitia, clementia, fortitudo, temperantia: Vita tua innocens REX *Ornatissime*, aliis omnibus est & *censura* & *cynosura*.

Sed, quod omnia superat, Tu *Veritatis Propugnator*, & Deum sincerè colis, &, ut sic ab aliis colatur, curas:

Al.

Alma mater Ecclesia est tibi curæ: Tu instar Ciconiæ nutris Nutricem, Tu nunc ejus patrimonij *herciscundi* magnus arbiter: Tibi est in *mente*, & in *manu* hanc CHRISTI Sponsam è paupertatis ergastulo eruere, & ejus proventus liberaliter ampliare.

ET certe Benignissime *Princeps*, misera paupertas est huius *Ecclesiæ scrofula*, quam nulla præter tuam *Regiam manum* sanare potest: Cum bono DEO *tange REX* & *sana*: Tuus tactus unica est *Panacæa* & *Asarum efficacissimum* quod huic inveterato *Comitiali morbo* remedium promittit.

Nota.

Hic morbus, à Comitibus, non á Comitijs hic dictus.

Præterea *Princeps Augustissime* Tu dignus summis laudibus, quod nobis *Glasguensibus* præfeceris Antistitem vigilem, virum optimum, verum Ecclesiæ ornamentum, qui, ut Ecclesiæ bene esset, & multa tulit, & fecit, non sine *magno proprij patrimonij dispendio*: Quale specimen *invictæ virtutis* adversus *avidos* & *sacrilegos Magnates*, tum etiam *Pontificiorum hostiles manus* hic edidit, id quamplurimis satis liquet: Sed de illo quid ego plura? Nam *Dominus meus REX novit servum suum*: Tibi REX Optime acceptum ferimus quod ejus & *pio & prudenti moderamine* fruamur.

Veræ laudes *Patricij Lindesij* Glasguensis Archiepiscopi.

Sed quis omnia? VESPASIANVS dicere solitus, Imperatorem *stantem mori oportere*: Tua vita REX Ornatissime non in *otio*, sed in *negotio* transacta est: Non Te *socors pluma* juvat, non *aleo*, non *ganeo*, non *Vina*, non *Venus illicita*: non *extremū frigus* Te impedit, non *æstus torrens* te terret, ut nimis delicate lateas sub umbra *IONAE KIKAIONIS* quærens quietē refrigeratoriam, sed iugirer *εὐκαίρως ἀκαίρως* sic commoda Regnorum tuorum moliris, ut omnibus facile constare possit, Te non tam cupere *præesse*, quam *prodesse*.

O fœlix *SCOTIA* tui amantissima terra tua natalitia tuis incunabulis nobilitata.

O ANGLI *Angelici, quod te præsente fruantur.* Sed in hoc magis *Angelici*, quod te sincerè diligant, & sic a Te diligantur. O beata BRITANNIA, quæ paternis & tuis auspicijs à multis cladibus liberata, hilari nunc animo cantare potest;

Hallelueth Adonai chol Britanniæ Goijm: Scavehuhu chol SCOTIAE haummim: chi gavar gnalenou chasdo, veemeth Adonai legnolam Halleluiah.

Sed cum REX eximie, non opis sit nostræ cuncta referre, aut pro merito tuas inclytas laudes *propalare*, ego TIMANTHEM imitabor, quod non possũ exprimere verbis; id velo silentij opertum relinquam.

Interim, quod unicum tenuitati meæ præstabile officium superest, *Illustrissime* Princeps DEO Optimo Maximo obnixe supplico, ut has tuas Coronas tandem multis annis exactis, coronet *immarcessibili corona*, cuius gloria non flaccescens durabit in æternum.

IEHI HAMELECH *CAROLVS.*

IEHI HAMELECH *CAROLVS.*

Vivat REX CAROLVS *Britanniæ spes & spiramen*, sitque eius anima ligata in *fasciculo viventium.*

Dixi.

Sed quoniam vacuos *Numini* sistere se nefas; nunc REX *Illustrissime*, accipe animo amœno & benevolo hæc *paupertini ingenij* mei, sed *ditissimi amoris* pignora, BELLVM, BALSAMVM, & carmina hæc *Tramoserica*, quæ Tuæ sacræ Majestati, do, dicoque.

Molâ salsâ litant, qui non habet thura.



AD CAROLVM MAGNÆ BRITANNIAE FRANCIÆ, & HIBERNIÆ Regem temporis ſerie ſecundum, ſed nomine & virtute primum, Defenſorem Fidei, &c.

DOmitiane ferox, tuleras dum immania ſceptra,
Ἔςαι πάντα καλῶς dicere tunc poterant:
At poſtquam ſolium conſcendit *Carolus*, omnes
Ἐςὶ πάντα καλῶς dicere nunc poterunt.
Ἔςαι πάντα καλῶς miſerum ſolamen, at omni
Ἐςὶ πάντα καλῶς tempore læta parit.

ALIVD.

QVondam *Tarpeio* crocitans in culmine *cornix*,
Eſt bene non potuit dicere, dixit erit.
At ſi nunc *cornix* crocitans in culmine noſtro,
Eſt bene nunc poſſet dicere, ſemper erit.

ALIVD.

ILLVSTRI virtute cluens ſate ſanguine Regum
Non *Venus* aut *vinum*, non *fraus* tua limina tangit:
Cæſorum innocuo non ſunt tua ſparſa cruore



Pecto-

Pectora; regalis non est tua lingua venenis
Illita: Tu miseris rebus Solamen in arctis;
Tu *pater es patriæ*, mens est tibi conscia recti;
Relligionis honos perstas, *Altaria* curas
Sacra; Pijs clypeus, clara inter lumina Regum
Tu virtute micas; Tu Relligionis amator;
Sacrorum columen rarâ pietate patrissas:
Te te Ecclesia persentit charum alma PELARGUM,
Nutris nutricem; spolias *spoliaria*; reddis
Quæ indignante DEO multos rapuere per annos
Sacrilegi Domini, miseris qui alimenta negarunt
LEVITIS, qui TUMMIM atq; URIM in pectore portant:
Hæc te *sacra Tribus* spectans *altorem & alumnum*
Agnoscit: pro te divina altaria LEVI
Fumabunt: vivit; vivet tua fama superstes
Dum *cœlum* atq; *solum* in prima statione manebunt:
Tu curis columen pressis; tu munere largus
Sollicitas animas reficis, tu pectora fulcis
Fessa malis; *Clemens* læsis tu Balsama præbes:
Pro justis inq; injustos præcingeris ense
Iusto; tu justus, sed te CLEMENTIA Dia
Præcipue oblectat: CLEMENS tu CAROLVS omni
Tempore diceris; magnoq; hoc nomine cunctis
CAROLVS es charus: quis non suspiret ademptum
Tam charum? validus longæva in tempora vivas.
Perge vt cœpisti, vireat tua gloria semper;
Posteritas dicat, *Rex hic supereminet omnes:*
Et faustum & fœlix te nunc *diadema coronet*.

ALIVD.

ASPECTV viduata tui tua SCOTIA vultus
Proh dolor hos multos jacuit confecta per annos,

O tandem si quaq; semel *tricteride* priscam
Hanc gentem invisas; O si tua SCOTIA pulchris
Fulgeret campis, rivis, sordescat vt vltro
ANGLIA blanditijs quæ gaudia nostra moratur:
O ANGLI Angelici qui te præsente fruuntur.

ALIVD.

ILLVSTRIS nunc sol ortus CALDONIS in oris
Pro tenebris *lucem*, pro *luctu* gaudia SCOTIS
Intulit: Exultans te nunc ipsa vltima THULE
Gratatur reducem, palmasq; ad sidera tendit
Effunditq; preces vt longa in secula regnes.

ALIVD.

SCOTIA non *luget, lucet,* quia fulget in oris
Sol purus: nunc clara dies nunc noctis opacæ
Tristitia est exul: CALDON tua lumina splendent
Insolitis radijs, qui nunc tua limina tangunt:
SCOTIGENÆ gaudete: en *Phosphorus* attulit almum
Lumen: nunc præsens non gaudia nostra moratur
CÆSAR, præclaro qui lumine limina nostra
Lustravit: nunc æternum salve optime Princeps
Corpore præstanti, Princeps quem fama perennis
Pennata evexit per summa cacumina rerum:
Sis clarus, charus: quò duxerit entheus ardor
Perge, nec illustrem minuat præsentia famam:
Sis fœlix cœlo *Phœbus* dimissus ab alto:
Hæc tibi conveniant & in una sede morentur
Majestas & amor: placido nunc respice vultu
Scotigenas, junctim qui clamant voce sonora,
Adsis Rex, intresq; sinus charissime nostros.

ALIVD.

NVNC tandem terras post plurima lustra revisis
Natales; natale solum dulcedine ducit
Mortales. Dulcis tibi patria SCOTIA, dulce
Tu patriæ sis mel, longe nunc quicquid amarum est
Exulet, exultent omnes celebrare choreis
Adventum Regis, quo non præstantior alter:
Vt Sol exortus præclaris sidera cuncta
Offuscat radijs, sic tu dignissime Princeps,
Clarus & illustris velut inter *Luna* minores
Effulges ignes: nunc est erepta tenebris
Irradiata, tui sic SCOTIA lumine vultus.
Eîa age rumpe moras, fragrantes SCOTIA flores
Spargito: nunc albis redimito tempora vittis:
Expectata dies venit, pars optima lucis
Affulsit nobis: jubar aureus extulit omne
Phœbus, curarum cessat nox maxima nutrix:
Nunc lux, nox non nox, nam cœlum & sidera splendent
Insolita luce, vt venienti gaudia charo
Testentur CARLO: rident & flumina campis
Exultant colles, valles, maria omnia circnm,
Et fontes, flores, vernantia prataq; clamant
CAROLE nunc regni *spes* & *spiramen* adesto.

ALIVD.

TV REX ipse tui magnus te nosq; gubernas:
Te certum est numen constituisse ducem.
Te colimus: faustum tibi primus & vltimus ordo
Gratatur reditum CAROLE Magne tuum.

Tristi-

Tristitiæ epotas nubes clarissime *Phæbe*,
Te veniente solet candidus ire dies.
Te sacræ geminæ *Astræa* & *Clementia* ditant;
Tu gemitis portus tutus & auxilium.
Est pietas merces, non vana encomia curas,
Non laudes, nec te vitrea fama capit.
Pergito, vt æternum decursa novissima meta
Imponat capiti sic *Diadema* tuo.



IN REBVS SECVNDIS *pium & utile meditamentum.*

OPTIMO DEO nostro summas gratias agimus, quod Te nunc tandem Princeps *Augustissime*, SCOTORVM Regem coronatum *cernamus*, quem non ita pridem coronandum *salutavimus*.

Sed REX *Religiosissime* hoc tuæ Regali infixum menti maneat: Omnis huius mundi pompa volubilis est instar cylindri, imo instar *nivis* fluxa & evanida est.

Liquitur ut glacies incerto saucia Sole.

Et si licet altiore voce Tecum loqui: humana cuncta, fumus, umbra, vanitas: immo quod magis, vanitatis abstractum, *vanitas vanitatis*. Nihil hic orbis quod perennet, possidet. Transiens, REX *potentissime*, est omnis *gloria hujus seculi*, sed in æternum non transibit *gloria cœli*, quæ *æterna* ab æterno in *æternum* in *Ente entium* fixa, stabilis per manet, nescia temporis præteriti aut futuri.

AD REGEM CAROLVM

Nunc tandem REX *benigniſſime*, poſt tam illuſtres ferias exactas, poſt tot *Tympana* reſonantia, poſt tot *Tubarum* bombos, & clangores, poſt tot *Tormenta* fumos, flammas, globos ferreos & plumbeos eructantia, audi *Iſh haelochim* pulſantem Regiam tuam januam & ſonorâ voce clamantem; Sed quid clamat?

Vocavi vos Deos,
Sed ſicut homines moriemini.
Ecce gloſſam interpretem.

Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana:
Inter vana, nihil vanius eſt homine.
Cum magis arridet præſentis gloria vitæ,
Præterit, immo fugit: non fugit, immo perit.

Sed quod ad te attinet, *Optatiſſime* Princeps, teſtor DEVM, quod ſine aſſentatione loquar: ego ita tui Regalis vultus deſiderio *captus & raptus* ſum, ut vix ſine lachrymis hanc tuam *faciem Angelicam* deſerere queam, quam ego nunc ad noſtra rediens fortaſſis in hâc vitâ non amplius viſurus ſum.

Certe REX *Sereniſſime*, cum viderem ſapientiam & ſinceram præcipué *pietatem*, cibum etiam menſæ tuæ & conſeſſum ſervorum tuorum & ſtatum Miniſtrorum tuorum, & veſtitum eorum, ſimiliter a poculis tuis, non poteram non dicere, *Verum eſt verbum quod audivi de TE, & de rebus tuis, & de ſapientia tua: tamen non credidi verbis illis uſq; dum venirem, & viderent oculi mei: ſed ecce non indicatum fuerat mihi ejus dimidium. Superas ſapientia & bonitate famam illam, quam audiveram.*

O quam beati homines tui: beati ſervi tui iſti qui ſtantes coram te jugiter, audiunt ſapientiam tuam.

Dixi. IE-

~~Oratio Panegyrica.~~

IEHI HAMELECH *CAROLVS.*
IEHI HAMELECH *CAROLVS.*
Vivat REX CAROLVS
& diu & bene.



MONITA SALVBERRIMA.

CAROLE *dum roseis resplendet roscida bigis*
Aurora, *acceleres sacratum insistere limen:*
Flecte genu supplex: terrenas exue mentes,
Indue cœlestem: curas quas corde premebas
Excute de gremio, & Divina in pectora volve:
Obnixis precibus facile est cœlum omne ciere:
Esto animo forti, in dubijs spem fronte serena.
Ne præceps pereas, sed Te ad meliora reserves,
Vive memor lethi: nihil hic sub fornice fixum
Cœlesti: increpitat cunctos mors hostis amara:
Pulverulenta jacent Magnorum corpora REGVM:
NOX ruit: in terris non Tu regnabis in ævum:
Regnàrunt alij, regnas, regnabit & alter.

Ne facias pridiè,
Quod pigeat postridiè.

ZACHARIAS BODIVS.